



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Bernardini Scardaeonii Patauini Presbyteri de Castitate Libri Septem**

**Scardeone, Bernardino**

**Venetiis, 1542**

Hominem quantumuis sapientem ex nimio amore in liberos saepe  
desipere cap. xiiii

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30433**

DE MOLESTIIS CONIV.

Hominem quantumvis sapientem ex nimio amore in liberos suos saepe desipere. Cap. XIII.

**Q**uam sollicita uero, & anxia sit parentum uita, quanque parum expediat uxorem ducere, & liberos educare homini sapientiae, & contemplationi dedito, ac religionis iniiciato mysteriis, Thales etiam Milesius unus ex septem sapientibus Graeciae ingeniose & callide hac pulcherrima machinatione monstrauit. Nam is quum diu cum Solone, qui & ipse erat de numero sapientum, de hac ipsa re nequicquam uerbis plurimis contendisset: sic ei demum hoc inuento non minus astute, quam sapienter imposuit. Quum enim forte loquendo uicisim (ut fit) deambulant una pariter in foro, Thales ex composito curauit, ut Soloni, qui pro nuptiis tunc agebat, mors filii subita nunciaretur: ad quam uocem Solon uir alioqui sapientiae gloria insignis ita repente consternatus animo fuit, & usque eo commotus ut insanire, ac furere coram omnibus coeperit, ac paulum abfuit, quin praeter tristitia animam miser efflaret. Ex quo factum est, ut ob eam molliem animi deinceps ex sapiente, qualis ad id tempus habitus fuerat, sit a cunctis inconstans mollissimus merito reputatus. Nam humi statim indecore prouolutus, capillum, & barbam uellens, iniectu pulueris ora foedat, pallium dilacerat, foemineoque eiulatu foedum spectaculum, & quam gerere solent sapientis persona maxime indignum, palam, publicaeque cunctis praebet. Verum ubi concurrente illuc magna turba hominum satis spectatus, delususque fuisset: tunc Thales, cuius opera fuerat is nuncius allatus, apprehendens pallio iacentem, subridens uultu hilari ac iucundo sic exanimatum dolore hominem alloquitur. Bono esto animo inquit, filius tuus uiuit, ualetque experiri tantum uolui an uxorem ducere, & filios procreare.

expediat sapienti, ut ipse tibi persuades, & immoderata mecum assertione contendis. Nam iam satis constare arbitror, quemadmodum & tu ipse modo sensisti, & isti omnes uiderunt, id non modo non conducere, uerum maiorem in modum officere, & repugnare sapientiæ: quando ob filiorum malum ipsi etiam sapientes nimio mœrore confecti sensu decidant, & dementes, ac fatui reddantur, ut tu ipse modo cunctis hic astantibus apparebas. Hactenus Thales ualde lepide, ac perquam sapienter. Id autem ita se habere etiam ex Periædri obitu multo planius aperitur, qui & ipse habitus est ex illis septem sapientibus haud postremus. Is enim non falso nuncio (ut de Solone nuper dicebamus) sed uera filii morte nunciata, tanta animi tristitia affectus est, ut præ magnitudine mœroris expirauerit. Quis ergo non uidet, uel per ea quæ diximus, uel ex aliis multis, quæ breuitatis causa pertransimus, minime conducere sacerdotibus, quibus diuinæ sapientiæ & cœlesti contemplationi uandandum est nec mulieribus admisceri, nec liberos procreare: quando quidem tanto sint impedimento nuptiarum molestiæ diuinorum contemplationi, ut etiam qui sapientissimi haberentur, cogantur uel solo amore filiorum desipere.

De educandorum nepotum: filiarum, nepotumve collocandarum sollicitudine. Cap. XV.

**A**Tqui demus interim in re uxoria parentibus pro uoto omnia fauste, foeliciterque, succedere: diuitias scilicet, filios probos, doctosque, & adultæ iam ætatis, & quales maxime optauerant, omni laudum genere præstantes. Quid modo reliquum est? Nimirum ut exoptent iam sibi ex eis nepotes, ac posteros dari. Quod quidem dum paratur, renouantur sollicitudis